

Paul Tarnow


Programma, In funebribus exsequiis, quas curabat ... Dn. Jacobus Fabricius, Medicinae Doctor & Professor ... filio suo primogenito, ... Dn. M. Philippo Jacobo Fabricio, Eloquentiae Professori in academia Rostochiensi solertissimo: P.P. sub sigillo academiae, MDCXXX. III. nonas VII.bris

Rostochi[i]: Pedanus, 1630

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746962223>

Druck Freier  Zugang





Handwritten text on a paper label on the spine, including the word "BIBLIOTHECA" and other illegible characters.

Vol. 241. (2.) <SON>

27
PROGRAMMA,
In funebribus exsequiis,
quas curabat

VIR. CL. EXCELLENTISS. EX-
PERIENTISS.

DN. JACOBUS
FABRICIUS,

Medicinæ Doctor & Professor doctis-
simus, aulæ Megapolitanæ archiater
dignissimus,

filio suo primogenito,

Viro CL. & doctissimo,

DN. M. PHILIPPO JACOBO
FABRICIO,

Eloquentiæ Professori in academia
Rostochiensis solertissimo :


P. P. sub sigillo academia, cIo Io CXXX.

III. nonas VII.bris.



ROSTOCHI

Typis JOACHIMI PEDANI Acad. Typ.
ANNO M. DC. XXX.



181
RECTOR
ACADEMIÆ ROSTOCHIENSIS,
PAULUS TARNOVIVS,
D. & Professor S. S. theologiæ.

D. Virgilius Maro, poe-
rarum latinorum facile
princeps, imo rex, Julij Cæ-
saris Scaligeri iudicio, cum
in fine lib. 6. Æneidos M.
Marcelli junioris, ex Octa-
via, Augusti sorore, filij,
præproperam mortem deplorare, & quantum
damni ejus decessu res Romana passura esset, si-
gnificare vellet, verbis ad illam calamitatem
describendam valde significantibus & empha-
ticis utitur, dum ita canit:

*Ostendent terris hunc tantum fata, neq̄ ultra
Esse sinent.*

*Quantos ille virum magnam Mavortis ad urbem
Campus aget gemitus! vel quæ Tiberine videbis
Funera, quum tumulum præterlabere recentem?
Nec puer Iliaca quisquam de gente Latinos
In tantum spe tollet avos, nec Romula quondam
Ullo se tantum tellus jactabit alumno.
Heu pietas, heu prisca fides, invictaq̄ bello
Dextera. non illi quisquam se impune tulisset
Obvius armato, seu quum pedes iret in hostem,
Seu spumantis equi foderet calcariis armos.*

Con

18
Consimili sanè orationis formã uti possumus
hodie in simili fato vitæ brevis & præproperæ
mortis Viri CL. & doctissimi, dn. M. PHILIP-
PI JACOBI FABRICII, eloquentiæ professo-
ris solertissimi, S. S. theologiæ, &, quæ ad eam
rectè discendam docendamq; summopere sunt
necessariæ, linguarum peritissimi: quem nostræ
academiæ & optimis studijs juvandis atq; pro-
pagandis tantum ostendit Deus, neq; ultra esse
sivit, ut cum poeta loquar, dum, quos labores sui
muneris publicè nuper exorsus erat, abruptit, &
quos privatim moliebatur, orientalium lingua-
rum, hebrææ, chaldææ, Syriacæ, Arabicæ,
rabbinicæ, thalmudicæ, cognitioni & propaga-
tioni destinatos, præscidit. nam quæ ex hoc ejus
laudabili proposito spes non fallax de felici pu-
gna ipsius, & comitum ejus hisce studijs dedito-
rum, contra ignorantiam genuini sensus scri-
pturæ sacræ, & contra hostes veritatis affulge-
bat, de ea dubium esse non potest apud intelli-
gentes: & frustra de eadem differitur apud igna-
ros & ignavos tanti boni contemptores. nec
mihi id nunc est propositum, qui ad ea, quæ a-
pud poetam, ex persona Anchisæ, sequuntur, &
quibus affinia hodiernæ diei ratio exigit, respi-
ciens, non solum cum eodem dicam:

A 2

mani-

*manibus date lilia plenis:
Purpureos spargam flores: animamq; nepotis
His saltem accumulem donis, & fungar inani
Munere:*

sed etiam laudabilem defuncti vitæ & beatæ mortis historiam pro more paucis exponam: ut, quod debetur præconium, virtuti persolvatur, & æmulatio in generosis pectoribus hac commémoratione excitetur. Tria ad quemlibet habitum animi & doctrinæ requiri, testis est apud Diogenem Laertium Aristoteles, idq; comprobatur experientia: naturam, artem, & usum: quibus tamen ut antecedit & comitetur divina gratia necesse est. hæc ~~Quia~~ concessit nato ex parentibus honestissimis, patre V. CL. excellentissimo, & experientissimo, dn. JACOBO FABRICIO, medicinæ D. & professore, & archiatro aulæ Megapolitanæ dignissimo, matre foemina lectissima, omnium virtutum cultu ornatissima, MARGARETA MYLIA, quæ cum enixa est cl. Io. CVII. die Philippi Jacobi, circa tertiam pomeridianam. Artium & sapientiæ, divinæ & humanæ, semina per institutionem à parentibus & præceptoribus, adeo feliciter accepit, ut in utraq; lingua, & ligata & solutâ oratione, animi sensa feliciter exprimeret, anno ætatis suæ duodecimo: nec defuerunt periti exercitiorum talium, censores, qui lectis ejus verbis & orationibus eum supra ætatem profecisse dicerent. præter linguarum studia, totius encyclopædiæ & artium humaniorum cursum itidem confecit, non minori laude, anno ætatis suæ XVII. quando summum in philosophia gradum & honorem, qui magisterium vulgò appellatur, consecutus est ritu publico. Non multo post, anno cl. Io. CXXIV.

po--

postridie Michaelis, ut suū in linguis, artibus & theologia studio profectum palam testatum faceret, disputationem de angelis à se conscriptam publico disputationis examini subiecit, sub præsidio reverendi & CL. Viri, dn. *Johannis Tarnovij*, S.S. theologiæ D. & professoris doctissimi: in qua omnium intelligentium approbationem & laudem meruit, & præsidem ita sibi devinxit, ut eum instar filij amaret, & ad constanter persequendum linguarum orientalium & sacrarum literarum studia incitaret: cujus fideli & salutari admonitioni obsecutus in Daniam se cum duce & magistro suo V. CL. dn. *M. Martino Trostio*, tunc academiæ Soranæ, nunc VVitebergensis professore linguarum orientalium diligentissimo & felicissimo, contulit: cum quo revocato etiam in Misniam redijt, & Lipsiæ ultra annum substitit, usus familiari consuetudine, cum aliorum doctorum & celebrium virorum, tum inprimis venerandorum, CL. & Excellentissimorum theologorum, dn. *Polycarpi Lyseri*, & dn. *Henrici Hopfneri*, sacrae scripturæ interpretum & professorum præstantissimorum: quibus ex convictu, conversatione, & indefesso studio, eoque dexterrimo, docendi & propagandi linguas orientales, quas in magna frequentia cum applausu ibidem proposuit & exposuit, ita innotuit & placuit, ut ibidem earundem profitendarum locus ipsi sit delatus, quemadmodum etiam in academia Julia postmodum. sed patriæ, patris venerandi, fratris, sororum, & agnatorum, cognatorumque amor prævaluit, effecitq; ut omnia illa, quæ in exteris ostendebantur & offerebantur, dulcedini natalis soli posthabuerit. in hoc antequam reverteretur, superioris & inferioris Germaniæ plerasq; academias & in eis vi-




ros celebres, maximè sacrosanctæ theologiæ professores, & orientalium linguarum peritia claros salutavit, & in his non tantùm Christianæ religioni addictos, sed etiam adversarios Judæos: cum quibus ita conversatus fuisse perhibetur, ut nonnulli eorum hebræam linguam ipsi, ut maternam & vernaculam, notam dixerint. Ab ipsdem etiam, præter multa vulgò ignota & recondita linguæ sacre mysteria, consecutus est raros, & in hisce oris fortè antehac non visos libros, rabbinicos & thal-mudicos, auro satis pretiosè emptos; sed omni auro pretiosiores: quorum usum & fructum, si supremo omnium arbitro ita visum fuisset, cogitabat cum studiosa juventute, citra invidiam, fide optima communicare. sed, cujus in manu sunt viæ nostræ, ei aliter placuisse eventus ostendit. postquam enim quadriennium, partim discendo & docendo, partim peregrinando, & celebriora studijs sacris & profanis loca, atque in eis viros eminentes & eximios adeundo lustrandoq; confecit, ad nos reversus est, & professionis sibi destinatæ & assignatæ, anno abhinc tertio, ab Illustrissimis & Celsissimis Principibus ac Dominis, Dn. *Johanne Alberto*, ejusque fratre germano, Dn. *Adolpho Friderico*, &c. & consensu collegarum approbatæ, possessionem adiit, solemnè introductionis ritu, die XVIII. Junij. non multis diebus interjectis post, initium suarum prælectionū fecit ab explicatione rhetorices Aristoteleæ: verum altera statim hebdomade, dum hoc agebat, ut spartam, quam nactus erat, ornaret, febris ardente laborare cepit: à qua cum die septimo, sudore largissimè profuso, nonnihil levaminis sensisset, imo omnia satis bellè, etiam judicio experientissimorum Medicorum, qui
cum

184
eum totius morbi decursu diligentissimè inviserunt,
habere viderentur, præter spem inopinâ inquietudine
& capitis affectu gravissimo correptus fuit: cujus vehe-
mentia vires corporis, jam antea debilitatæ, penitus
fuerunt prostatæ. quantulæcunq̃ue autem supererant,
dum vita ad extremum finem decurrebat, ijs utebatur
ad pietatem coram Deo & hominibus astantibus testifi-
candam, donec tandem in continuis ad cœlestem pa-
rentem suspirijs & invocatione Salvatoris nostri JESU
Christi, sine mortis tormentis, placidissimè expira-
vit. Habetis succinctam vitæ & mortis CL. Viri, dn.
M. PHILIPPI JACOBI FABRICII, oratoris
professoris in hac academia doctissimi, historiam: quam
non tantum de more in funeribus usitato commemo-
rari necesse fuit, sed etiam, quia juventuti, quæ magis
exemplis laudatis, quam præceptis salubribus duci so-
let, utilissimum est ex ejusmodi recensione perspicere,
quomodo gradatim ab imis ad supremum fastigium e-
ruditionis ascendere oporteat: ne ipsis eveniat, quod
Menedemus Eretrienfis apud Plutarchum de sui tem-
poris studiosis dicebat, qui ex sophis philosophi, ex
philosophis rhetores, ex rhetoribus idiotæ, per ἀναν-
δις μὲν, fiebant: aut, quod patrum avorumq̃ue memo-
ria excellentissimus ille Jureconsultus & philosophus,
dn. *Johannes Capnio, sive Reuchlinus*, de legum & juris
candidatis, qui primo anno sui studij sibi viderentur
Doctores, altero Licentiati, tertio demum studiosi.
Nunc, de quo convenientius hoc die nobis agendū, ut
videamus, quomodo ultimum honorē piè defuncto,
& superstitionibus moestis officium necessarium, nobisque
decorum, præstemus, nolim dicere, quod Q. Metellum
Mace-

281
Macedonicum in funere Scipionis Africani dixisse au-
tor est Plinius, lib. 7. histor. cap. 44. *Ite filij, celebrate
exsequias: nunquam civis majoris funus videbitis:* id enim
meritis multorum debitæ laudi detraheret, & dum
ad æmulationem juniores excitaret, spem omnem pa-
ria faciendi præcideret. quin potius omnes ita sentire,
idque sibi propositum habere convenit, ut, quod detri-
mentum academia in bonis literis & linguis cognitu ne-
cessarijs cepit morte unius FABRICII, id omnes
sua indefessa diligentia compensent: hodierni autem
diei officium, quod virtuti honoriq; defuncti & solatio
superstitum ex intimo veræ charitatis affectu debetur,
universi & singuli, ut spero, cives nostri ordinis citra ex-
ceptionem ullam, religiosè præstent: ad quod facien-
dum eos hac significatione publica invito & convoco:
quos temporum horum extremis periculis suæque sa-
lutis amore satis commonitos fore spero, ut precibus
ardentibus DEO patriam totamque Germaniam dili-
gentissimè commendent. Funus fiet hodiè media
prima hora, in templo Mariano: ubi singulos & univer-
sos nostræ reipublicæ cives conventuros uti confido,
ita ad id faciendum hortor. P. P. sub sigillo acade-
miæ, clj Io CXXX. III. nonas VII. bris.





temporis DEO mirabiliter dirigetam, Patriam suam Helvetiam, Prælinquens in Romanum imperium. Sincerum verbum DEI progerminat vir juvenis, Linguarum, Historiarum, (cujus amore cum primis flagrabat) incubuit, ita ut Imperator Carolus Poetica, in quibus inter alia egregiæ descripsit, non sine singulari assistante Cæsaris documento) legit, ac reâ, quæ tum magna erat dignitas, e occasione stemma Nobile Fidlerianum Album Nobilium Romani Imperii, & ultra, pro placito Cæsareo cooptatem utriusq; sexus derivandum, prærenovavit. Huncq; meum prænolicem Fidlerum ob singularem eruditæ ingenij & animi Heroici dotes, probuit. Hac Nobilitate quamvis non gratiâ Domini mei Jesu Christi, immemter mihi immerito concessâ: Tæpudet, sed magis me nobilitare curavit. S. S. Ministerium, ad quod Dominus ministerium suum destinavit. Hæc summa dignitas, omnes humanas dignitates superans.

Natus autem sum Ego CONSULUS, Dantisci Anno 1579. 6. Martina Patre VALERIO FIDLERORE, quondam Ducis Prussie Archiepiscopi Alberti Friderici Consiliario, Margrave præclaræ Familie, & insignium

A 2

173
mê dete-
ios dere-
am, ubi
nit, ceu
& Poëse
ligerter
opera
Germa-
tate (te-
litrò lau-
rit, & hac
cum, ad
centum
osterita-
Cæsareo
vum Fe-
æclaros
ario ha-
sed solâ
erio cle-
jus non
ogiam &
avit, &
as: hæc
onorum
IS FID-
tâ matu-
e Docto-
ij Ducis,
ob Herm-
Matronâ,
quæ

